



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicas & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

XIII. In illud Psalm. 50 Miserere mei Deus secundum magnam mis. &c. al.
de tripl. misericord.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

rum eius, in igne æterno, qui præparatus est eis. Hic ergo *timor initium sa-*
pientiae dicitur & non pudor, non dolor : quia neuter eorum sic initiat
 ad sapientiam, neuter tantam habet efficaciam. Unde est quod non dici-
 tur memorare primordia, aut media, sed *novissima*, & non peccabis. Vali-
 dior enim est & vehementior spiritus timoris ad resistendum peccato, quam
 pudor & dolor : quia pudor de multitudine, & dolor de qualicunque hu-
 ius mundi consolatione capit solatum, timor vero non invenit unde con-
 soletur. Nam in morte non magnum, non parvum aliquid de bonis huius
 mundi tecum delaturus es: in judicio nec fallere nec resistere possibile e-
 rit: in gehenna penitus nulla consolatio, sed perpetuum vase, ululatus, &
 fletus & stridor dentium.

S E R M O X I I I . *

In illud Psal. *Miserere mei Deus sec. magnam misericordiam tuam.* Ps. 50.

Sicut sunt peccata minima, sunt mediocria, sunt & magna: sic est mi-
 sericordia parva, mediocris & magna. Magnus ergo peccator magna mi-
 sericordia opus habet; ut ubi abundavit delictum, superabundet & gratia.
 Parvam misericordiam dico expectationem, qua non statim punit peccan-
 tem, sed expectat ad pœnitentiam. Parvam autem non in se, sed ad com-
 parationem aliarum. Alioquin magna planè, magna omnino misericordia,
 expectatio Domini. Nam peccantem Angelum omnino non expectavit, sed
 præcipitavit: hominem quoq; peccantem non distulit, sed protinus expu-
 lit de paradiſo. Nunc jam expectat, dissimilat, sustinet decem annis, vi-
 ginti, usq; ad senectutem & senium. Et si consideremus quanta & quam
 plurima peccata quotidie fiunt, nonne levia reputamus illa, quæ tam con-
 tinuo damnationis exceperunt sententiam? Nihil proinde mirum, si iphius
 quoq; Prophetæ ^b pene moti sunt pedes, pene gressus effusi, quoniā zelabat
 super iniquos pacem peccatorū videns: si peccatores ipsi dicunt, quomodo
 seit Deus, & si est scientia in excelso? Sed hæc est gratia crucis Christi & vir-
 tus. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convergatur &*
vivat. ^c Quantū vero mihi videtur, vox Christi resurgentis est ista: Ac si di-
 eat, velit nolit Judæus, vivo ego. Nolo mortem peccatoris, qui mori volui pro
 peccatoribus. Volo ut fructuosa sit mors mea, & copiosa per eā redemptio.

Hanc ergo misericordiam Domini qua tardat ferire, paratus ignosce-
 re; parva non quidem in seipsa, sed aliarum comparatione nominavi, quia
 hæc siquidem sola fuerit, nullatenus sufficit ad salutē, imo verò judicium da-
 mnationis accumulat, ut dicat ^d: *hæc fecisti, & tacui.* Apostolum proinde
 audiamus more suo terribiliter intonantem. *An dixitias bonitatis eius,*
 inquit, (haud dubium quin Dei) *& longanimitatis contemnis?* Ignoras
 quoniam patientia DEI ad pœnitentium te adducit? Tu autem secundum
 duritiam

^g Psal. 110. b
& Eccli. 1. c

*Timor effica-
ciosus peccato
resistit, quam
pudor aut do-
lor.*

* Alias; de
triplici mi-
sericordia,
& 4. mise-
rationibus.

*Misericordia
Dei parva,
mediocris, &
magna.
Parva, quo
expectat pec-
cantem, tar-
dus ad pœna.*

^b Psal. 72. a

^c Ezech. 18. g

*Longanimitas
Dei culpm
peccatoris non
resistentis
cumular.
^d Psal. 49. d.
^e Rom. 2. a*

duritiam tuam & cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae. Thesaurizas, inquit, tibi thesauros irae pro prærogatis thesauris misericordiae quos contemnis, & evacuas in te misericordiam DEI. Sed secundum quid; *secundum duritiam tuam*, ait, & *cor impoenitens*. Quis autem scindet duritiam istam, nisi qui passione sua petras scidit? *Quis dabit cor pœnitens*, nisi à quo est omne datum optimum?

Altera misericordia medioris, qua DEVS dat pœnitentiam.

Hæc est secunda misericordia omnino maior priore, quæ facit ne prima sit infructuosa, & convertatur in damnationem mortis, dando scilicet pœnitentiam, sine qua expectatio non modo non prodest, sed obest plurimum. Et hæc quidem in levibus peccatis potest sufficere, quoniam in his à quibus abstinere non possumus dum gestamus corpus peccati, ad salutem sufficere potest pœnitentia quotidiana. At in gravioribus quidem, & quæ peccata ad mortem sunt, opus est non modo pœnitentia, verum etiam continentia. Difficilis prorsus res, & soli divinæ virtuti possibilis, suscepimus semel peccati jugum à cervicibus excutere: quoniam qui facit peccatum, servus est peccati, nec est jam liberari nisi in manu fortis.

Tertia misericordia magna, qua dat continentiam.
fPsal. 50. a
4. *Filiæ seu effecta magna misericordia.*

Hæc est magna misericordia magnis necessaria peccatoribus, de qua dicitur: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam & secundum multitudinem miserationum tuarum, &c.* De quatuor filiabus magna misericordiae dictum est, quæ sunt immissio amaritudinis, subtractione opportunitatis, virtus resistendi, & sanitas affectionis. Quandoque enim ei qui peccato quovis obligatus tenetur, pie immittit Dominus amaritudines quasdam, quæ mentem occupant hominis, & expellunt perniciosa delectationem peccati. Quandoque subtrahit opportunitatem, nec tentari patitur infirmitatem. Quandoque virtutem donat resistendi, quod maius est, ut scilicet temptationem sentiens viriliter agat, & non consentiat. Quandoque affectionem sanat, quod perfectissimum est, & in quo prorsus tentatio tollitur; ut non solum non consentiatur ei, sed nec sentiatur quidem.

S E R M O XIV.

In illud Sap. *Sapientia vincit malitiam. Attingit ergo à fine, &c.*
Seu, *De septem Donis Spir. S. contra septem vitia.*

Sapientia vincit malitiam ^a, dum Satanam conterit Dei virtus, & Dei sapientia Christus. Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter, in cœlo quidem dejiciendo superbum, in mundo superando malignum, in inferno spoliando avarum. *Et disponit omnia suaviter*, in cœlo stantes angelos confirmando, in mundo venundatos redimendo, in inferno captivos liberando. Aut si melius placet, accipiamus hoc modo. Ordinata procedit acie adversus septem peccati gradus Spiritus septiformis. *Et primus contra*

^a Sap. 7. d*
& Sap. 8. a
Septiformis
spiritus ad-
versus septem
peccati gra-
dus.
1. Sp. *Timoris*
contra negli-
gentiam.